





10c XII. n. 24. 13
DISSERTATIO INAUGURALIS THEOLOGICA

DE

1739, 1.
**IDOLOLATRIA
DEVOTIS NONNUM-
QVAM PRECIBVS IN-
NOCVE ADIVNCTA**

QVAM

DIVINIS AVSPICIIS

IN REGIA ILLVSTRI SVECICA ET HASSO-SCHAVEN-
BVRGICA ACADEMIA RINTELIENSI

MODERANTE

IOAN. ENGELH. STEVBERO

S. S. THEOLOGIAE DOCTORE ET PROFESSORE PRIMARIO
PHILOSOPHIAE ORDINARIO SVPERINTENDENTE ET
CONSISTORIALI HASSO-SCHAVENBVRGICO
COLLEGII THEOLOGICI HODIE DECANO

PRO LICENTIA

OBTINENDI SVPREMOS IN THEOLOGIA HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE CONSEQVENDI

EXCELLENTISSIMORVM DOMINORVM OMNIS FACVLTATIS PROFESSORVM
EXAMINI PVBLICO SVBMITTIT

VVIGANDVS KAHLER

S. THEOLOGIAE ET MATHESEOS PROFESSOR ORDINARIVS.

RINTELII DIE XII APRIL. MDCCXXXI.

LITTERIS IOH. GODOFR. ENAX, A. T.

DOMINUS NOSTER IESUS CHRISTUS

IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS
SANCTI AMEN

IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS
SANCTI AMEN

JOHANNES STEPHANUS
DE THEOLOGICA DOCTRINA ET PRAESENTIA
ET
COLLEGIUM THEOLOGICUM DEBONO

PRO LICENTIA
OBTINENDI GRADE IN THEOLOGIA HONORES
ET PRAESENTIA

JOHANNES STEPHANUS

DEBONO



Pro
in
I. I.
ca
II. II.
ui
id
sti
III. III.
in
IV. IV.
m
pe
V. V.
ti
VI. VI.
en
VII. VII.
di
VIII. VIII.
ho
ac
IX. IX.
ca
in
a
X. X.
ri
XI. XI.
p
XII. XII.
d
a





SVMMARIA.

Prooemium occasionem argumenti indicat.

- §. I. Idololatriae vocabulum explicat variasque eius diuisiones.
- §. II. Circa obiectum et modum diuini cultus existere errores varios, idololatriam cumprimis et superstitionem.
- §. III. Superstitio quid? Quanta exinde mala pullulent?
- §. IV. Quaestio excutitur, an atheismus peior superstitione, vel superstitio atheismo?
- §. V. Preces exponuntur, et qua ratione legitime peragantur.
- §. VI. Obiectum piarum precum enucleatur.
- §. VII. Quaestio et argumentum dissertationis exponitur.
- §. VIII. Rationes panduntur cur homines ad ideas intellectiuas non aequae proueniunt atque ad sensuales.
- §. IX. Theologi, quos Casuistas vocant, DEVM sub idea rei sensuales in adoratione repraesentari posse adfirmant.
- §. X. Discrimen inter ideas imaginarias et intellectiuas, intellectum purum et impurum.
- §. XI. Circa intellectiuas ideas eruditi plerumque occupati sunt, quae obscuriores sensuales.

- §. XII. An DEVS in adorationis actu sub forma aut figura, an uero mera intellectuali repraesentatione sit repraesentandus?
- §. XIII. Varii modi reuelationis diuinae extraordinariae.
- §. XIV. Quotupliciter DEVS repraesentetur, intra et extra actum adorationis?
- §. XV. Exempla utriusque foederis adorationis intellectiuae.
- §. XVI. Dissensus a Theologis nonnullis modeste indicatur.
- §. XVII. Cur plurimi ex rudi vulgo subtiles habeantur idololatriae?
- §. XVIII. Illud tamen fieri innocue deuotisque ipsorum precibus isthac ratione nihil derogari.
- §. XIX. Rationes tradit, cur innocue adhaereat idololatria multorum precibus.
- §. XX. Allegoria huius argumenti desumitur ex Genes. XV. II.
- §. XXI. Illustratur res exemplis LVTHERI MELANCHTHONIS NAAMANIS aliorumque.
- §. XXII. Quia nemo prohibere potest, quominus sibi oranti obuersentur ideae subinde sensuales, DEVS tolerat hanc in suis fragilitatem, usque dum a fide ad videndum peruenierimus.

* * *

Prooemium.

Inter eos, qui occasionem et ansam
 huic inauguralis dissertationis argumento prae-
 buerunt, primo statim loco nominandus est Vir
 Summe Reuerendus Dominus CHRISTOPHORVS
 AVGVSTVS HEVMANNVS S. Theol. Doctor et Professor,
 Regiique apud Göttingenses Gymnasii Inspector longe
 Celeberrimus: is enim quum ante biennium sua me
 donaret dissertatione inaugurali de superstitione ve-
 rae fidei innocue admixta, (a) statim perlegenti mihi
 argumentum subnascebatur huius dissert. de idolola-
 tria veris subinde et deuotis precibus admixta, lite-
 risque ad eum datis responsoriis rogavi Virum Doctissi-
 mum, vt ad idem argumentum, cui elaborando solus
 mihi videretur idoneus, excutiendum SE accingeret:
 respondebat tum Vir Celeberrimus sibi non displicere
 argumentum, dignumque existimare cui aliquando vel
 ipse

(a) Duo habentur de hac Dissertatione inaugurali iudicia;
 sed quantum aera lupinis distantia: alterum Viri Docti, vi-
 delicet Max. Reuer. COLERI Bibliotheca sel. Theol. part.
 XXIX. pag. 434. alterum LIBERII cuiusdam ALETHOPHILI
 vt se vocat, qui discipulus olim HEVMANNI dicitur fuisse,
 fed talis, qui ex iudicio COLERI minime superat suum Ma-
 gistrum, ideoque eum non tam rationibus quam thrafonis-
 mis et verborum phaleris orationisque meteoris confuta-
 re adgressus est. ibid. part. XLVI. p. 1010.

ipse exarando operam daret: vel si rationes id quidem
 SVAE non admitterent, suadere SE omnino vt in eo
 elaborando vires experirer meas atque periclitarer.
 Atque ea fuit occasio, quae mihi id nunc imposuit
 argumenti, quod lubentissimus quidem Viro Summe
 Reuerendo elaborandum reliquissim, aliisque me longe
 et vasta rerum experientia copiosaeque eruditionis
 adparatu superioribus. Si igitur vbique acurem forte
 non tetigero ea me solabitur conscientia laboris, me
 rem adgressum esse dignam omnino, in qua quis expe-
 riatur vires, aliisque post me venientibus vt supersit
 aliquid meo definitum esse labori suum terminum.
 DEVS vero, sine cuius Numine nihil est in homine, in
 omnem nos ducat veritatem!

THESIS I.



Ad ipsius igitur argumenti

expositionem dum nos accingimus,
 praecipienda in gratiam lectoris vi-
 dentur nonnulla, de vocabulis ter-
 minisque in hoc argumento occurrentibus. Primum
 est idololatriae vocabulum, in scholis potissimum,
 theologorum et philosophorum occurrere quod so-
 let, falsique et factitii seu subdititii alicuius Numinis
 cultum indicat, (b) quod quis loco veri Numinis vel
 ex

(b) Vocatur hinc idololatria זרה עבדה *seruitium alienum*. HOT-
 TINGERI MOSES ET AARON pag. 647. נסח 1.

ex lapidibus metallis vel denique ex alia quapiam re, vel in terra vel infra terram vel etiam extra mundi huius confinia in caelo, cultu quodam comminiscitur prorsus falso et fictitio. Solent hinc theologi pariter atque philosophi varie dispescere *idololatriam*; aliis enim in *crassiolem* (c) et *subtiliolem*; aliis vero in *rationalem* et *irrationalem* (d) eam placet diribere, quam tamen vltimam partitionem nos improbare non possumus non profiteri hic palam facereque testatum. (e) Huc etiam videtur arcessi posse illa, acerrime inter philosophos hodie agitata quaestio controuersa: num idololatria peior sit superstitione, vel superstitione conditionis longe deterioris quam idololatria? Quid definiendum sit, facile palam fiet, tum, quando vtriusque distinctas ante formauerimus definitiones, ne logomachiis omnia taediose impleamus auramque caecutientes vibrare et verberare videamur.

§. II.

- (c) Hanc alioquin in *Sabaismum*, qui in Caeli, Solis, Lunae atque stellarum cultu et religione consistit, et *Hellenismum* diuidunt, qui hominum demortuorum et Daemonum venerationem eidem addidit, ita tamen vt simulachrorum, imaginum, et stellarum adoratio vtrique communis. OWENVS *Θεολογία*. libr. III. cap. IV. p. 181.
- (d) Plures adhuc dantur, nempe in *propriam* etiam dispescitur et *participatam* formalem et materialem vid. C. EBELINGII *Iurisprudentia decalogica* p. 76. 79.
- (e) Possem alioqui et peccatum in rationale et irrationale distinguere, ex quo sequeretur, vt lex, cui peccatum aduersatur, sit irrationalis, quod absolum esse nemo non videt. THOMASIVS in der Einleitung in die Sittenlehr nihilominus hanc distinctionem probat. cap. III. §. 66. p. 146.

§. II. Error circa *obiectum et modum* diuini cultus eiusmodi alit et parturit monstra, videlicet *idololatriam et superstitionem*; Prior enim est, vbi in primis per crassio rem, non gentes modo immani barbarie cimmeriisque immerfae tenebris, sed hodieque Pontificii (f) gloriam immortalis Dei ad imagines similesque hominis mortalis et volucrum et quadrupedum et serpentium transferunt Rom. I. 23. Neque polytheismus aliunde videtur traxisse originem, quam ex idololatria. Etenim vel nullum Numen agnoscunt Epicuri de grege porci, et ita atheismi venenum excludunt; vel multos DEOS colunt simpliciores, et hac ratione polytheismo litant ex idololatria pullulanti, quem tamen et saniores pagani solo rationis ducti dictamine falsum pronuntiarunt, dum rite subductis rationibus, facile erat indagare, verum Numen nonnisi vnicum esse posse, quidquid etiam BAILIUS (g) de Manichaeorum duplici garriat principio.

§. III.

(f) Quod si iusto durior mea de Pontificiis sententia videatur eos inter idololatrias crassos dum refero, meminerit crassam idololatriam duos habere gradus: alterum summum, alterum minus crassae idololatriae. Ita enim et S. Sacram. distinguere nouimus inter Baaliticam et Ieroboamicam idololatriam: prior summi, haec inferioris erat gradus, vbi quidem DEVS a cultu religioso non excludebatur, sed tamen alia res creata manuque facta cum vero DEO coniungebatur, ad hanc igitur crassam refero idololatriam. Pontific. EBELINGIUS l. c. p. 78. seq. ANDR. BEYER in additamentis ad IO. SELDEN. de dls Syris p. 37.

(g) Ecclesiae Christianae insigni factum esse censet vsura nullam

§. III. Superstitio igitur circa *modum* colendi DEVM verum vacillat atque oscitatur, si rebus *Frivolis* tribuimus caducis verique Numinis ratione et nomine prorsus non venientibus. Videmus hinc iterum si atheismum cum superstitione comparemus, illum quidem in defectu peccare circa Numinis existentiam, hanc vero in excessu, quum polytheistarum fere ratione et more frequentius aliquid diuini reperisse sibi videntur homines, vbi tamen miserabiliter se decipiunt aliisque vt plurimum existunt deceptores. Atque de *superstitione* itidem fateri cogimur eam potissimum ex rerum naturalium oriri supina et neglecta prorsus ignorantia. Non paganorum solum illud ad sensu et testimoniis corroborari posset facillime, *(b)* sed superiorum temporum memo-

nullum ex sagacioribus paganorum philosophis vquam ad huius philosophiae placita legitime deducenda et demonstranda animum adplicuisse, in primis quod AVGVSTINVS qui artem controuersias rite tractandi calluerit, Manichaeorum partes deseruerit, hunc enim maxime fuisse idoneum eiusmodi condere systema, quod orthodoxis multum negotii facessiuisset. Sed quidquid huius sit, nos ea quidem linquimus quae vel animi petulantia, vel iudicii abreptus imbecillitate, ingenii que nimia foecunditate prolixè finxit, soluere quas non valuit obiectiones, Vir cetera doctissimus et laboriosissimus. vid. BYDDEI Theolog. Dogmat. libr. III. cap. II. §. 35. pag. 682.

(b) CICERO de finibus libr. I. omnium rerum natura cognita leuamur superstitione: liberamur mortis metu: non conturbamur ignorantia rerum; e qua ipsa horribiles saepe existunt

memoria luculentissime id nobis in aperta collocat luce. Nouimus paulo ante reformationis salutaris tempora Megalandri LVTHERI ministerio peractae, omnia spissa quadam ignorantia et cimmeriis superstitionis offusa fuisse tenebris: postquam vero literarum bonarum nitor parumper suae fuit restitutus integritati, etiam superstitionis foedae decidisse squamas et conculcatas fuisse insigniter notissimum est. Si quis noui quidquam excogitaret, quod rudis vulgi non illico peruium erat ingenio, periculum statim erat ne magiae superstitione infumaretur criminis, foedaque eousque saeuiret ignorationis superstitione, vt et igni et ferro in eum debaccharentur. Quae circa initium typographiae inuenta facta sunt insigniter haec illustrantia historicorum loquuntur annales. (i)

§. IV. Paucis tamen et ea nobis tangenda est quaestio, pessimi licet pretii, cuius supra §. I. mentionem fecimus, videlicet num atheismus sit peior superstitione? Vbi nostris temporibus fuisse inuentos, mirum cuiquam videri posset, dicentes, atheismum praestare superstitioni, quos inter BAILIUS (k) itemque THOMASIVS (l) longe deterioris conditionis

B

homi-

existunt formidines. Denique morati etiam melius erimus. Idem ibid. superstitione qui est imbutus, quietus numquam esse potest.

(i) vid. das historische und geographische allgemeine Lexicon tit. Io. FAVSTVS.

(k) Dans la continuation des pensées diverses et dans la réponse aux questions d'un provincial tom. 4. c. 17.

(l) In der Einleitung zur Sittenlehr cap. 3. §. 71. seq.

hominem esse superstitione imbutum nimia existimant, quam eum, qui Numen aliquod reuera existere neget; hic tamen suam postea retraxit sententiam. (m) Quam late diducto adhinniat ore atheorum pessimum flagitium et scelus TOLANDVS, ex eius *adeisfidaemone* videri potest. Sed nec defuerunt etiam ex theologis pariter atque philosophis, qui omnes data opera certatim illam confutarent sententiam, quos inter praecipuos nomino, VVALCHIVM (n) GRAPIVM (o) LOESCHERVM (p) BVDDIVM (q) PRITIVM (r) SECKENDORFFIVM (s) PET. IVRIEV. (t) Mihi si dicendum quod res est, quaeritanti responderem ita, aliam ipsi obiiciendo quaestionem: vtrum ex duobus malis pessimis melius? Status vero quaestionis

- (m) Cautel. circa praecognita Iurisprudentiae *cap. 12, § 91. not. f. p. 195. Sapientiae, inquis, studioso vtraque stulticia vt aequae periculosa vitanda.*
- (n) Im philosophischen Lexico, unter dem titul: Atheisterey, p. 139.
- (o) In dissert. an atheismus necessario ducat ad corruptionem morum? habita Rostoch. 1697, et in theolog. recens. controuersa, *part. 1 cap. 1. Q. 7. p. 36. in primis vero p. 43.*
- (p) Praenotionibus theologis, *praenot. 4. et 5. p. 23 et 26, seq.*
- (q) In thesibus de atheismo et superstitione p. 352. et p. 790.
- (r) In dissert. de atheismo in se et foedo et humano generi noxio, Lipsiae 1695.
- (s) In additamentis des Christenstaats p. 31. et 39.
- (t) In examine aduersus les pensées de Mr. Bayle sur les comètes et dans la courte reueué des maximes de morale et des principes de religion de l'auteur des pensées diuerses sur le comètes.

tionis longe aliter formatur, vbi BAILIVS societatem posse absque vlla consistere religione, ex meris contendit atheis, sed de eo hic nostri non est instituti agere fufius.

§. V. At enim vero nimium a scopo nostro notione terminorum moti, euagati sumus. Vt igitur ad illud reuertamur, vnde orsi, de vera precum notione pauca etiam in medium adferenda sunt. Si preces theologorum verbis definiendae sunt, colloquium cordis nostrae audiunt cum Diuino Numine. Colloquium illud semper ut fiat verbis ore prolatis non quidem necesse esse, Scripturae nouimus litera; (u) quandoquidem et gemitibus *σεραγμοίς*, non verbis ore et sonora voce excusis, orandum est, sed spiritu, cogitationibus piis, calido mentis adfectu, piaque ad Deum misis deuotione. Atque ita quae ratione pie preces comparatae debeant esse, ex iis potissimum discimus adfectionibus, quae passim et systemata et compendiola christianae doctrinae praecipua exhibentia capita, complectuntur. Praecipuae sunt adfectiones, vt quis ea quae par est deuotione preces suas peragat, nec promiscue quocumque loco et statu ad preces se fundendas idoneum

B 2 *...satis*

(u) Ob ein Christ gleich nicht immerdar den Mund reget oder Wort machet, dannoch gehet und schlägt das Hertz (gleichwie die Pulsadern und das Hertz im Leib) ohn Unterlaß mit solchem Seuffzen: ach lieber Vater, daß doch dein Nam geheiligt werde — LUTHERVS tom. VII *Leuesf. germ. p. 78, 4.*

fatis esse censeat: (x) Homines enim regis terreni vel principis adituri thronum, mirum quantum solliciti sunt, ut ordine supplicationes suas proferant, ne vllum frustra verbum protulisse videantur: et regum Regis, Domini dominantium nos Maiestatem accessuri solliciti non sumus, ut ea quae a summo Numine rogaturi sumus, concinna vocum dispositione, et mentis, qua decet, attentione (y) humiliter promamus et peroremus, ne similes euadamus pagani, qui βαλλολογίας Deum quidem sed frustra colere tentant Matth. VI. 7. (z) peruersaeque Iudaeorum genti, quae ore, non animo, legitur Deo semet appropinquasse Ies. XXIX. 13. Matth. XV. 8. Ad pias insuper preces etiam requiritur, ut vera ex fide proficiantur, nitatur enim necesse est oratio merito Christi tanquam fundamento, (aa) atque fides quidem inter praecipua numeranda est devotarum precum attributa, *quidquid enim ex fide non est, peccatum*

(x) Montes et silvas hinc veteres etiam petebant pagani precaturi, vid. MATTH. BROVERII DE NIEDEK *de populorum veterum ac recentiorum adorationibus*, Amst, 1713, in 12mo excusa Dissert. cap. IV. pag. 55.

(y) Iucunda pariter atque doctrinae salutaris plena sunt quae LUTHERVS commentatur tom. VI. Ien. germ. pag. 310.

(z) Lege LUTHERI commentarium super haec verba tom. V. Ienens. germ. p. 401. a.

(aa) Haec nostra est stola qua orantes comparemus, longe melior candidis istis vestimentis quibus et ethnici orantes induti erant. NIEDEK l. c. p. 149. Egregie LUTHERVS tom. II. Ienens. germ. pag. 206. a.

catum esse nos gentium Doctor Paulus conducet, Rom. XIV. 23 Ebr. XI. 6. Et denique illud etiam ad pias Deoque acceptas requiritur preces, vt quis oret sanctis manibus i. e. ne contaminatus grauib; oppidoque mortalibus ad Deum accedat peccatis; (bb) isthac enim ratione et vanas irritasque fore preces nostras, scriptura passim inculcat, sufficereque posse vnum Publicani et Pharisei superbiae, oestro perciti reor exemplum, (cc) quorum hic quidem exauditionem precum absolutionemque, non consequbatur, eo quod manus adferret ad Deum foedis peccatorum sordibus inquinatas, quorum eum nondum poenitebat: fieri hinc non poterat aliter, quam vt domum reuerteretur suam eodem statu, nec, quam publicanus adeptus erat peccatorum remissionem, obtineret.

§. VI. De *obieto* nunc piarum precum vt dispiciamus, operae videbimur pretium fecisse, seu potius vt placet aliis nuncupare, de termino *ad quem*, qui solus est DEVS VNITRINVS. Deus quidem Pater tanquam Spiritus infinitus et prima Deitatis persona: Filius itidem sed non exclusa H. N. eam enim et nos in statu vnionis adoratione dignam esse existi-

(bb) Soliciti erant Graeci atque Romani hodieque Muhametani sunt, vt preces suas mundi peragant atque casti, variisque hinc lotionibus utebantur, NIEDEK l. c. pag. 115, et 123.

(cc) Et veteres corde et animo esse orandum humili veltione capitis indicarunt, NIEDEK l. c. p. 141.

existimamus, ita tamen, quatenus est λογοςθεΐσα et Θεοθεΐσα, quantumque in υποστασις subsistit τὸ λόγος; non itidem in abstracto in primis physico: et denique Spiritus Sanctus, qui et ipse Deus est verus Act. V. 3. 4. intercedit pro nobis apud Deum συναγμοῖς ἀλαλήτοις Rom. VIII. 26. atque in nobis obfignat υἰοθεσίαν ibid. vers. 15. quem itidem tanquam Spiritum fas est adorare purissimum a Patre et Filio exeuntem.

S. VII. De *obiecto* igitur solo hic controuersia erit, et ad illud quidem dissertationis nostrae thema spectat, quando *idololatriam piis subinde et devotis adhuc precibus adhaerere arbitramur*, quas tamen exaudiat Deus non habita ratione infirmitatis nostrae, qua pauci mortalium in adoratione Deum sibi exacte repraesentare tanquam Spiritum valent, sed plerumque sub habitu et schemate hominis vel canis patris. Eiusque idololatriae ansam dederunt pictores atque poetae (*dd*) qui DEVM Creatorem au-

(*dd*) Ita enim EVRICIVS CORDVS, Poëta Hassus Ecloga septima Opp. poet. edit. HENR. MEIBOMII de creatore fingitur eiusque in laudes egregia excurrit commentatione pag. 45^a

Non minus optarem *venerandam cernere barbaram*
Incant, ex nihilo qui fecerat omnia, *Patris*,
 Qui vetus ante chaos fuit et sine manebit.
 O quanta illius bonitas, o quanta potestas,
 Quantaque conspectis lucet sapientia rebus,
 Quae faciunt alta toties vix mente stupefiam,
 Cum video certis vaga legibus astra rotari,
 Tam variasque vices quas fert natura refertque.

Nunc

audacter conati sunt sub habitu et forma humana,
depingere, faciemque cani patris tribuunt, altera
manu virgam, altera gladium vel globum imposita
cruce tenentis. ROHR. (ee)

§. VIII. Rudiores igitur de plebe mortalia
homines non adeo facile ideam Spiritus sibi in
adoratione formare de Deo, eundemque absque hu-
mana forma repraesentare posse, exinde facile licet
coniectare, quoniam eiusmodi homunciones non
adeo

Nunc glacialis hiems, nunc feruida praeterit aestas,
Fit nox, fitque dies, crescit, decrescit vterque,
Quae modo cornuta est pleno mox orbe refulget
Luna, suasque regens iacit in terrestria vires.
Quis iubet eruptis segetes adfurgere glebis?
Quis volucres tenui suspendit in aëre nubes?
Quis pluuiam decibrat aquam? Quis fulmina mittit?
Denique quis tantae sustentat pondera terrae
Ne cadat, et medias ne praecipitemur in vndas?
Vnus ab antiquo qui talia prouidet aeuo.

(ee) In *pictore errante* capite II. sect. I. videatur et IO. FABRI-
CII Dissert. Theol. qua historia sacra contra nonnullos
pictorum errores vindicatur Aلدorffi habita 1684. LVTHE-
RVS tom. VI. Ienenf. germ. p. 304. Bildest du mich recht
so hastu mich recht — Denn des Menschen Hertz ist von
Natur also ein verderbter und zerrissener Spiegel, das es
nicht mehr recht weifs noch versteht, von Gott und sei-
nem Willen, drum mus es so fahren und fladdern mit ei-
genen Gedancken, das einer sonst der ander so Gott mah-
let, ziehen und hängen ihm mancherley Farben und Klei-
der an, und bilden ihn so seltsam, das, wenn es alles auf ei-
nen Hauffen käme, so wäre es das scheuslichste Bild, des-
gleichen nie gesehen oder gemahlet möcht werden.

adeo frequentes sunt in idearum intellectualium et abstractiuarum formatione; obiecta rerum circa quae maximam partem intellectus illorum versatur, sensuales tantum gignunt ideas; adeoque vix credetas erit, in adoratione eos DEVM tamquam spiritum et quidem infinite perfectum sibi concepturos, sed potius ita, vt vel sub specie hominis, vel sub forma lucis, vel denique sub schemate ignis vel aurae leniter spirantis. Accedit, quod ex statu lapsus ea intellectui humano imbecillitas adhaereat, vt *lucis et sapientiae* loco in eo *tenebrae* et *stultitia* deprehendantur, vitiumque generatim omnibus mansisse hominibus censeatur, quod ad res corporeas concipiendas et capiendas longe sint proniores, quam ad spirituales et materiae expertes. Hinc etiam inficias iri nequit plurimas de rebus diuinis notiones esse ineptas, et tantum non idololatricas (*ff*) atque ex hoc fonte promanasse Anthropomorphitarum deliria, non inscite hariolatur BVVDEVS (*gg*) Ideisque de DEO sensualibus Iudaeos et Pontificios multum occasionis praeuuisse testatur LVTHERVS (*bb*)

§. IX. Indequae esse cernimus Casuistas, siue theologiae casuisticae doctores, eamdem quaestionem dudum etiam dignam iudicasse, in qua soluenda etiam suam impenderent operam et vires, videlicet:

(*ff*) BVVDEVS instit. Theolog. dogmat. libr. III. cap. II. §. XV. pag. 608.

(*gg*) I c. et theol. moral. part. II. cap. III. sect. I. §. XIX. p. 507.

(*bb*) Lectu dignissima hac de re verba sunt, nimis tamen proluxa, quae huc exscribi possint tom. VI. Ienenf. German. p. 184. b.

num liceat inter orandum DEVM sub formare i corporeae v. g. senis grandaevi, regis throno gloriae insidentis sine peccato concipere? Ad quam affirmatiue respondere nonnulli tantum abest vt dubitent, vt potius conceptus de DEO in forma hominis naturalis esse existiment, tum quia sub forma ista DEVS semet reuelauerit Dan. VII. 9. Ef. VI. I. ita tamen, vt fatius esse existiment eiusmodi formam hominis sibi de Deo concipere, qua conspiciendum se aliquando exhibuerit et reuelarit, non autem cum pictoribus radiantem sibi effingere imaginem solis inscripto nomine *אֱלֹהִים* (ii) licet hanc speciem radiosam non adeo damnabilem existimet PHILIPPVS MVLLER (kk) cuius vestigium deprehendisse sibi visus est Exod. III. 2. Ezech. I. 4. quia vsus corporis Deo non alius crebrior quam lucis, Psalm. CIV. 2. XXXVI. IO. vbi tamen BALDVINVM habet dissentientem: (ll) sedulo tamen cauendum esse, ne sub forma eiusmodi effigiei essentiam nos Dei concipere posse putemus. BALDVINVS in decidenda hac quaestione magna vtitur cautione, facile, inquit, circa hoc caput in excessu peccatur, ita, vt ad crassa defectatur Anthropomorphitarum deliramenta, Deum sub imagine alicuius substantiae corporeae membrisque praeditum sibi concipientium: nec non etiam in defectu, quando statim nonnullos nescio cuius peccati reos faciamus, qui corporeae substantiae vel etiam spiritualis Deum

C

for-

(ii) A. PRVCKNER manual. mille quaestion. cent. I. q. II. p. 8.

(kk) in notis ad manuale PRVCKNERI p. 6.

(ll) Cas. Conscientiae lib. 2. cap. 2. cas. I. pag. 82. seq.

formae sibi proponant atque repraesentent, isthac enim ratione illaqueari simpliciorum conscientias, quos tamen Seruator suo sanctificauerit sanguine atque repurgauerit.

§. X. Dicendum igitur si quod res est, fateor, altius huius rei ex philosophia sana origines esse deriuandas, dispiciendumque annon isthac ratione possit ratio indagari, si ea quae philosophia tradit debita cum modestia ad scripturae sacrae oracula adplicemus. Dari ideas intellectuales, id est tales, quae a materiae prorsus immunes sunt commercio, notius est, quam vt ea res copiosa disquisitione indigeat. Constat ex prima philosophia, vt hodie adpellari consuevit, ita dispesci etiam ideas in intellectuas et imaginatiuas: illae enim tales esse perhibentur, quae in reminiscencia nuda consistunt; haec vero nititur impressione cogitationum mearum. e. g. idea de cogitationibus ipsis, est intellectiua, vocatur etiam idea mentis reflexa, a parte intellectus vero actus ille, quo formamus nobis eiusmodi ideam, actus reflexus dicitur, his opponuntur ideae imaginariae siue sensuales, vbi praeter reminiscenciam adhuc icon quaedam sese menti mediante phantasia repraesentat; illae propriae dicuntur esse substantiis spiritualibus; hae materialibus et corporeis. Non inconcinne huc etiam arcessenda est doctrina de intellectu *puro et impuro*, a CARTESIANIS potissimum vsurpata, quo sensu tamen admittere fas esse non ducimus, videlicet vt dicamus intellectum nostrum *purum* esse, id est agere eundem posse absque vilo corporis commercio, nullo-

nulloque vsum instrumento. Nouimus enim eo sensu iam dudum esse hanc doctrinam explosam a sanioribus hodie philosophis, eoque sensu *dari intellectum purum* fidenter negamus: sed e contrario si intellectus puritatem metiamur ab obiecto nempe ab ideis intellectui obuersantibus, vt adeoque si intellectus vocetur *purus*, cuius ideae rerum sunt incorporearum, *impurus* vero, qui circa ideas versatur corporeas, (*mm*) vera sit distinctio.

§. XI. Atque haec quum longius quidem excuti non indigeant, facile patet ideam intellectualem conuenire cum intellectu puro, sensualem vero ideam cum imaginaria siue intellectu impuro. Illa habetur de spiritibus, adeoque etiam de Deo, qui Spiritus dicitur κατ' ἔξοχην: hanc nempe sensualem ideam nobis acquirimus de rebus corporeis inque sensus externos vt vocant incurrentibus. Ex quibus omnibus facile perspicitur omniumque exponitur oculis atque intuitui, ideas posteriores, longe esse euidetiores prioribus, videlicet sensuales intellectualibus, et puro intellectui obuersantibus: priores vero, nempe intellectuales pro obiecto incorporeas res habentes aequae quidem veras esse, facile damus, sed tamen non aequae subinde luculentas: quandoquidem has ad eruditorum potius spectare quam rudium labores, non omnino vero est ab simile;

C 2

ab.

(*mm*) SYRBIUS philosoph. primae part. 1. cap. 5. pag. 163 seq. WALCHIVS in parergis academicis p. 722. idem in der Einleitung in die Philosophie pag. 112. vid. eius philosophische Lexicon sub titulo: idee reine, idee verständliche pag. 1507. 1509.

abstractionibus enim plerumque intellectus noster indulgere iubetur, si ea, qua par est, claritate et euidencia ideas intellectuales seiungere cupit a sensuibus; vel si etiam corporeas ideas multas in vno haerentes subiecto seorsim considerare, quaeque interquamlibet intercedat differentia, perscrutari contendit. Quam in rem quaedam exempli nobis loco luculenti inseruiunt ideae, quas nobis de veritatibus earumdemque formamus differentia, virtutem a subiecto separatim considerare et abstrahere, vel ut alia enuntietur phrasi philosophica, *praescindere*. Doctrinam ab homine docto mente separare, est abstrahere, videlicet seorsim considerare doctrinam, et subiectum, cui eiusmodi inhaeret eruditionis qualitas. Abstractiones hae aequae verae sunt subinde atque termini concreti, si nempe legitimo nitantur suo fundamento, non aequae tamen saepenumero euidentes. Quo nomine etiam scholastici olim male audiunt, quod abstractionibus indulgebant vanis nulloque prorsus abstractionis fundamento superstructis, sed apinis citra fundamentum confictis, et quidem talibus, quarum ne angelus sua mentis sagacitate exemplum capere potuisset v. g. dum *mensseitatem* a mensa abstrahere laborabant; quasi vero *mensseitas* aliquid sit reuera a mensa diuersum, separationique mentali obnoxium? (nn)

§. XII.

(nn) Quam in rem meretur legi ADAMI TRIBBECHOVII tractatus de Doctoribus scholasticis opera HEVMANNI editus, eiusdem Act. Philos. Tom. II. p. 299. EL DAN. FRID. IANI de doctoribus vmbaticis pag. 45.

§. XII. Haec quum ita sint, et in adoratione DEVS necessario repraesentandus nobis sit, et quidem tamquam praesens, eo potissimum quaestionis nostrae momentum recidit, an sub figura et forma, an vero repraesentatione mere intellectuali, a materia abstracta prorsus, quoniam ipsam Numinis essentiam a materia esse immunem nouimus, concipere DEVM fas sit? Nostra est sententia: mera intellectuali repraesentatione DEVM in adoratione concipiendum esse, idque nos absque vlllo nouaturiendi pruritu existimamus, a quo qui penitius nos nouerit, prorsus alienos esse probe cognitum habet atque perspectum. Habemus et praeuntem hic b. P. L. HANNENIVM Academiae Giesßenæ olim et postea VVittebergensis decus atque theologum insignem, qui dissertatione *de repraesentatione Dei cum adoratur*, nobiscum ex asse consentit.

§. XIII. Rem tamen plenius et profundius exposituris nonnihil discriminis adhibendum est inter *repraesentationem*. Alia enim est repraesentatio Dei ex *lumine naturali*, quae sane imperfecta, ideoque variae dedit ansam idololatriae: alia ex *reuelatione*, quae perfectior, sed non eiusdem modi: alia dum ordinaria, alia extraordinaria: huius alii plures, alii pauciores constituunt modos. Ex CARPZOVIO (oo) nos nouem decerpemus sequentes, vnicuius addituri aliquod ex Sacris exemplum. 1.) *בְּרֵאשִׁית* per *visionem*. Exod. III. Moses rubum ardentem Ezech. III. idololatriam Hierosolymitanam, alter

(oo) Crit. sacra V. T. part. I. cap. I. §. 2. num. 2. pag. 38. seq.

alter oculis, alter mente conspicit 2) בחלום *per somnium*, Iosephus Genes. XXXVII. 1. 3) בחידות *per aenigmata*, quando aliud repraesentatur, aliud intelligitur Ezech. III. 1. Propheta libellum comedere iubetur, ibid. cap. IV. 5. 15. 4) בתמונה *per figuras*, quando $\mu\omicron\sigma\phi\eta$ DEI oculis conspicua erat Exod. XXIX. 9-11. et loquentem septuaginta seniores audiebant gloriosam DEI speciem 5) בה אלהים *cum ore ad os* verso, id est immediate ut Mosi contigit 6) *per Urim et Thummim*, quae sacerdotalis reuelatio. 7) בחתקו *per filiam vocis*, Matth. III. 17. XVII. 5. Io. XII. 28. Sed LIGHTFOOTVS (pp) aduersatur. 8) *per angelicam annuntiationem*, uti Danieli cap. VI. et in N. T. Zachariae sacerdoti, nec non Mariae matri Domini obtigit 9) *per Θεοπρονοσίαν* s. immediatum Sp. S. internum adflatum et suggestionem specialissimam ad exarandos libros biblicos. Sed hae erant repraesentationes extraordinariae, de quibus non disquirimus sed potius

ordi-

(pp) Vid. S: Reuerendi WOLFII *curas*, qui multa adducit ex aliis, certum בחתקו oraculi diuini genus fuisse contentibus, ipse vero ad stipulatur sententiae illi haud obscure, hoc oraculi genus, si quod fuerit, et sub templo II frequentatum, Iudaeorum adscribendum esse ambitioni, qui multa penitus conficta iactent de eo. et ad Io. XII. 28. 29. Gentiles etiam orto tonitru peractis precibus ratas eas fuisse diis credidisse. pag. 64. et 928. Inprimis vero DANZIUS peculiari Dissert. *de filia vocis nefanda DEI aemula* 1716. habita ostendit, solideque probat diuinam non fuisse eius originem sed confictam fraudeque hominum vel diaboli formatam, et errare Christianos qui eam pro diuina promiscue reuelatione habeant, neque eo referri posse vocem de coelo qua Christus glorificatus est. §. 29. 32. 34. 35. Consentit HERM. WITSIVS Misc. sacr. libr. I. cap. III. §. 5. 6. 7. p. 17. seq.

ordinaria hic in censum venit repraesentatio, eaque non extra adorationis spectata actum informationi hominum inseruiens; sed potius intra eundem, cuius pleniorrem dabimus §. XIV. sequenti descriptionem.

§. XIV. Quotuplex sit eiusmodi repraesentatio, qua notus esse per reuelationem cupit Deus homini, et quod intellectualis in adoratione tantum valeat, vidimus quidem, sed nondum in aperta collocauimus luce, qua ratione intellectuali repraesentatione Deus sese intellectui nostro sistat, id quod sequentibus forsitan patebit luculentius rationibus. Vidimus quidem varios repraesentationis modos, quo se Deus per reuelationem gratiose hominibus reuelare voluit, sed iam speciatim de repraesentatione in ipso adorationis actu disquirendi locus erit. Repraesentationis igitur modi qui non mere sunt intellectuales extra adorationem obtinent ad informationem, in ipso adorationis actu vero intellectuali solum repraesentatione diuinum nobis Numen esse sistendum, quam cum b. HANNEKENIO (qq) *deuotionis nuncupabimus repraesentationem*. Nemo igitur
vitio

(qq) HANNEKENIUS l. c. cap. IV. §. 2. et §. 5. 6. Intellectu igitur DEVM adorationis actu repraesentari necessarium est, non idea sensuum, sed sublimati supra sensus intellectus, ut sicubi intercurrat meditationem sensus et phantasia eius id omne ut impertinens reiiciatur — Quod fundamentum est omnis verae adorationis, quo deficiente omnis adoratio licet ad summum Numen directa et sub denominatione etiam DEI Israelis est vana et idololatrifica; fundamento autem

vitio nobis vertet, quod tam copiose de ideis supra §. IO et II, sensualibus et intellectualibus a nobis actum, itemque quod repraesentationis modos prolixius excutere operae existimauerimus esse pretium. In ipso igitur adorationis actu de Deo non

sensua-

eo fideliter collocato, iam intellectus vel denominatione DEI in genere, vel selecto nomine infinitae bonitatis aut attributo aliquo, vel opere diuino creationis, redemptionis, sanctificationis in obituum suum collocato semet colligit, et euagationem mentis adstringit quodammodo, et vel Trinitatem vel Patrem solum, aliamue personam distinctam, Filium DEI Filium hominis Spiritum S. in attentione nominando, aut sine nomine interne supponendo ex eo sinus totius recessu vere orat, neglectis non tantum sed repudiatis omnibus ideis (sc. sensualibus) quae exphantasia citra rem officiosa poterant subuenire. Haecenus HANNEKENIVS. Neque tamen haec omnia ita capienda sunt, quasi absque scripturae adhibitis sic verbis orandum, hinc LUTHERVS: Ich weiß nicht wie starck andere im Geist sind, aber so heilig kan ich nicht werden, wann ich noch so gelehrt und voll Geistes wäre, als etliche sich düncken lassen, noch wiederfährt mirs allzeit wenn ich ohn das Wort bin, nicht dran dencke noch damit umgehe, so ist kein Christus daheim ja auch keine Lust noch Geist, aber so bald ich einen Pfal. oder Spruch der Schrift für mich nehme, so leuchtet und brennet es ins Hertz, daß ich andern Muth und Sinn gewinne, ich weiß auch es sol ein jeglicher täglich also bey sich selbst erfahren. Ursach ist diese, wie wir alle an uns finden, daß unser Sinn und Gedancken so ungewiß, schlipffrig und unstete sind, daß ob wir gleich wollen anheben etwas ernstlichs zu bitten, oder von Gott zu dencken ohn Wort und Schrift, da gehet es gewißlich also, daß wir ehe man sich umsiehet, wol hundred Meil von den ersten Gedancken fahren. Versuche es wer da wil,

sensualem nobis sed intellectualem formamus ideam, non sensuali repraesentatione sed intellectuali intellectu nostro contemplamur. Aliter enim extra adorationis actum repraesentatur Deus per figuras, visiones et typos externos ad INFORMATIONEM; sed ipso adorationis actu omnis eiusmodi sensualis exfulat idea, mens potius ab iis est defaecanda, amouenda et eleuanda; et licet Numinis Maiestas in typis et figuris descripta nominetur, supra illas tamen mens absque vlla fermocinatione eleuetur, ne subtili idololatriae locum demus, quae committitur, vbi Maiestatem Numinis diuini phrasibus creaturis aptari solitis descriptam, phantasiae nostrae sistimus, absque eleuatione nostri intellectus supra creaturas omnes. Atque ita exponitur euidentia actus modusue adorationis diuinae, nempe quando omnem procul abesse iubemus ideam sensualem de DEO, phantasiae quae turbare frequenter et deuotionem interpellare nostram adsolet. Excepto tamen Filio DEI, qui *θεανδρωπος* DEVS et homo simul est in vna persona, consors throni adorandi in Trinitate: neque tamen quum Christus vt homo in adoratione ab intellectu nostro concipitur, imagine certa phantasiae pictoribus consueta sistitur super-

D iride

wil, und sage mir wieder wie lange er auf einem fürgenommenen Gedancken bleiben könne — egregia sunt quae sequuntur BERNHARDI quae iucundum omnino est experimentum, quae omnia tamen nimis longum foret hic exhibere, qui volet, videat LUTHERVM ipsum Tom. VI. lenens. Germ. p. 171. a.

iride sedens; (rr) Sed potius intellectu nostro Humanitatem eius intuemur ad infinitam Maiestatem eleuatam. Ita enim teste seruatore ipso Io. IV. 24. *DEVS* qui est *Spiritus adoratur Spiritu et veritate.*

§. XV. Nec defunt vtriusque nobis Foederis exempla, quibus euidenter satis confirmari potest nostra sententia, in ipso adorationis actu cessare omnem de DEO ideam imaginariam atque sensualem. Inter multa ego ISAACI producarn exemplum rus abeuntis Genes. XXIV. 63. *מִבְּחַי (ss) ad meditantum. f. orandum,* qui sine dubio ruri preces suas suscipit, vt et curis vacuus, et mens isthac ratione eo melius posset in se reflectere, atque Spiritu et sincero cordis adfectu Deum pro felici successu coniugii inuendi cum Rebecca, Eliesare auxiliatricem praestante operam, inuocaret. Dan. IX. 18. vbi Propheta pro obiecto

(rr) ROHR l. c. ad Apoc. IV. 3. collat. cum Matth. XXV. 31.

(ss) *Orandi* enim notionem hic a plurimis receptam esse et interpretibus et paraphrastis Biblia docent Halensia MICHAELIS ad hunc locum. Sunt qui ex vocabulo hoc ISAACVM insigni philosophiae praeditum et notitia et experientia fuisse probabunt, sed hos dudum solide confutauit celeberrimus HEYMANNVS *Ab. Philos. tom. I. pag. 763. II. p. 19.* praecipue vero errorem hunc exinde ortum esse dudum viri docti obseruarunt, quod testimonio IOSEPHI bellorum iudaic. scriptoris decepti, insignes hebraeos fuisse crederent philosophos, cui sententiae plurimi patrocinantur etiam ex theologis nostris, quam in rem PFEIFFERI habemus Panosophiam Mosaicam, ita vt et BVDDEVS prima editione historiae philosophiae hebraeorum hunc errorem errauerit, quem secunda emendauit atque suam re-
traxit sententiam, HEYMANNVS l. c. p. 16.

iecto iustitiam Filii DEI per anticipationem sibi pro-
 posuit. Ex noui Foederis tabulis notatu digna sunt
 publicani verba Luc. XVIII. 13 *ὁ θεὸς ἰλάσθητί μοι τὰ ἁμαρ-
 τιά μου.* Et STEPHANI proto-martyris Ecclesiae Actor.
 VII. 59. *κύριε Ἰησοῦ, δέξαι τὸ πνεῦμά μου.* Vbi sane non
 sensuali eos vsos esse idea in adorationis ipso actu vlla
 vi corroborari potest, mentem potius ita ad Deum
 eleuasse cernimus, vt praesentem sibi crederent haud
 aliter atque si de facie ad faciem cum amico quodam
 colloquerentur: apprehendebant enim intellectuali
 idea Numen ipsum vel nomine vel opere quodam,
 ita vt simulatque cogitabant veritatem istam, ipso-
 que actu adorationis decernebant adorare Numen,
 quod in SS. Trinitate sit manifestum et adorandum,
 confestim etiam persuasi erant reuera se a praesenti-
 tissimo exaudiri Numine, quod corda scrutetur et
 omnia, vigili cuius oculo per via sunt, rimetur. Sed
 ad STEPHANI exemplum hoc obiici posse facile per-
 spicio, eum non intellectuali sed sensuali vsu in
 adorationis actu idea fuisse, eo quod caelos viderit
 apertos Filiumque Dei a Dextris sedentem. At enim
 vero facilis est responsio: non ad preces haec perti-
 nent STEPHANI, quae his potius comprehenduntur
 verbis, *Domine, recipe spiritum meum!* sed ad praeg-
 ustum quendam *gratosum*, (*Gnaden-Blick*) quo in
 articulo mortis ita Seruator Proto-martyris animū
 corroborare et reficere volebat, ut spretis doloribus
 mortis suo laetus confirmaret sanguine veritatem
 Doctrinae Christianae. Quos praegustus hodieque
 non negandos esse theologorum ad sensum admittitur

saniorum omnium, qui alioqui et ab enthusiasmo omni procul absunt; vbi tamen et cautione non exigua opus esse PFEIFFERI (ii) monemur consilio.

§. XVI. Salua igitur honoris aestimatione theologorum dudum beata morte defunctorum, quorum §. 9. mentionem facere debuimus, a sensu- libus ideis, quas inter et oppido referendi sunt conceptus de Deo figurati vel typici sub externis signis, quos praeced. §. XIII. vidimus, prorsus in ipso adorationis actu esse abstinendum, non temere quidem nobis persuademus; ea tamen differentia, vt non negemus, Deum sub externis vel posse signis, figuris quodammodo repraesentari; id quod Scripturae S. esset ausu contradicere prorsus temerario; vbi non semel DEVM externa quadam vsum esse figura vel typo legimus, quando peculiari oeconomia hominibus se dare voluit conspiciendum. Sed in ipso adorationis actu ita Deum sibi repraesentare sub idea sensuali ab idololatria haud procul abesse, satius arbitramur cum aliis ex theologis nostris *γρηγοριου* & „ laude omnino conspicuis. Ita enim b. HANNEKE- „ NIVS (iii) vitium imbecillitatis humanae esse, quum „ repraesentatio quaeritur in imagine quadam sensu- „ suali intellectui proponenda, quum aut Vir senex „ et grauissime auctoritatis in throno lucido sedens; „ aut filius hominis iuxta apparitiones Apocalyptri- „ cas proponitur neque enim ei fini illae reuelatio- „ nes factae sunt. Factae quidem eiusmodi sunt reue-

(ii) Antienthusiasm. cap. 1, §. 16, p. 31. - 34.

(iii) l. c.

reuelationes DEI variae sub figuris et forma exter-
nis, quarum supra mentionem fecimus per peculia-
rem oeconomiam ad homines de DEO informan-
dos, deque salutis doctrina et vero ordine; at enim ve-
ro ex apparitionibus statim eiusmodi ad veram DEI
essentiam rationes subducere, inque ipso adorationis
actu ita de DEO sentire vt eundem ita repraesentari
menti putemus temere quisquam haud sine idolo-
latriae admissione adfirmauerit.

§. XVII. Haec quum ita sint, facile patet plu-
rimos ex rudi vulgo subtiles siue indirecte esse idolo-
latras, et tantum non crassos siue directe: subtiles di-
co, dum ignoranter versantur in errore certo, nem-
pe DEVM sibi sub figura et forma vel hominis vel
fenis concipientes idea sensuali, quem Spiritum tamen
et veritate, id est, intellectuali et mera abstra-
ctione ab omni materia inuocare deberent: tan-
tum non crassos nuncupo, quoniam et sub imagine
et externo signo DEVM nobis concipere prohibe-
mur in adorationis actu, sponte a nobis confecto
Exod. XX. 4. Aliud enim et longe quidem diuer-
sum est placuisse diuino Numini ex peculiari subinde
✠ *Christi* sub figura quadam conspiciendum se exhibere
hominibus, vt imbecillitati nostrae subueniret atque
opitularetur, et isthac ratione typis nos instrueret,
haud aliter atque materialibus literarum elementis
ideas comprehendere et designare possumus intelle-
ctiuas, et ita cogitationes etiam nostras elementis
literarum communicare cum aliis: tantum abest, vt
existimemus elementa literarum ipsos esse conce-
ptus

ptus et sensa mentis siue cogitationes. Ita et sentien-
dum est de apparitionibus sub vtroque factis Foede-
re, ad institutionem hominibus contingere, vt ea ra-
tione luculentius de *Φιλανθρωπία* gratiaque DEI et
salutis ordine condocerentur, non vero vt Dei essen-
tiam in ipso adorationis actu sub talibus rite signis
repraesentari crederemus.

§. XVIII. Atque huc redit dissertationis
nostrae argumentum: *de idololatria deuotis subiinde
precibus adiuncta*, innocue tamen idololatriam ad-
mixtam esse precibus illis a nobis adfirmatur. Ra-
tiones igitur nostras si etiam promamus operae vi-
debimur facere pretium. Idololatriam inter foe-
dissima et maxime execranda pertinere peccata,
exinde potissimum palam fit, quoniam inter ea re-
fertur peccata, quae antecedenter ad voluntatem
Deitalia dicuntur, id est, quae ne salua quidem ipse
Deus sua sanctitate potest tolerare. Dantur quae-
dam peccata, quae quidem sunt mala, sed tamen
absolute non sunt, verum certo quodam respectu,
quoniam Deus salua sanctitate eadem tolerare pot-
est, (xx) prout de polygamia, gradibusque pro-
hibitis plura occurrunt in sacris exempla vbi DEVS
legem

(xx) Discrimen hic probe notandum esse existimamus inter
dispensare et tolerare. *Indispensabilis* est lex diuina, alias mu-
taretur DEI voluntas, sed *tolerare* potest eos, qui eandem
migrant, quod et ipsum cum grano salis capiendum est, vt
quae *directe* contra sanctitatem diuinam sunt negemus
cum posse tolerare, quae vero *indirecte* committuntur eum
tolerare posse adfirmemus. BYDDEYS theol. moral. part. II.
cap. II. §. 14.

legem suam a patriarchis migrari passus est, quia malum erat ex voluntate DEI, licet et in iis malis, quae ex voluntate et mera legis prohibitionem verita sunt, non sine ratione DEVM inductum esse credamus, vt certas hominibus interdiceret actiones, certas vero fieri sine offensa ipsius omnino permetteret.

§. XIX. Potissimum vero DEVS hominibus, et quidem rudioribus peccati in loco non ponit hanc idololatriam, quia ignoranter ab iis committitur: sunt enim vel politioris ingenii existimantes, DEVM se reuelasse certis sub signis et figuris, indignum eius Maiestate non esse, eandemque ipso adorationis ita actu concipere, non attendentes, factas esse apparitiones et reuelationes eiusmodi ad institutionem nostram, non vt isthac ratione in adoratione ipsa ita sifteretur intellectui, alioqui et Spiritum liceret sanctum in adoratione sub columbae formae sibi concipere, quod minus diuinae conueniens foret Maiestati. Intellectus enim tum non creaturarum phrasibus adhaereat, sed potius eleuetur ad infinitam Numinis Maiestatem, vti supra a nobis copiose est excussum. Secunda est ratio, imperfecta licet sint omnia bona nostra opera, DEO tamen gratiose placent. Id ipsum de idololatria est tenendum deuoris innocue precibus admixta. Ea enim et subinde imperfectio adhaeret piis nonnullorum precibus, vt phantasia eorundem multis ideis turberetur sensualibus de DEO, quam imperfectionem DEVS tolerat et quasi non attendit, quia ex ignorantia frequenter fieri nouit cordium scrutator, infirmitatisque nostrae

nostrae memor, non precum perfectionem, sed cuius nituntur merito innocentiam nobis attribuit. Tertio, non ii solum, qui e plebeia sunt cohorte, sed et qui politioris ingenii cultura imbuti, subinde in adorationis actu laborarunt eiusmodi mentis impuritate, ut itidem turbetur phantasia ideis et signis sensualium de DEO conceptuum, qui sane inuitis nobis obrepunt, ut et isthac ratione deuotionem saepenumero nostram ab idololatria liberam non esse videamus; sed DEI gratia freti credimus, eundem nobis fore propitium, neque preces esse nostras iudicaturum ex imperfectione nostra, sed potius filii sui merito, quo nituntur. Et dum a lapsu nostrorum nobis parentum adhaeret insignis illa infirmitas, ut ad ideas spirituales formandas non aequae simus apti atque procliuues atque ad sensuales supra §. VIII. in nostro non est semper arbitrio et potestate tam perfecte in ipso adorationis actu mentem eleuare eundemque ab omni defaecare imperfectione sensualium idearum phantasiam deuotionis actu interpellantium.

§. XX. Concinnam huius rei allegoriam, quam et GLASSIUS (yy) agnoscit, deprehendisse mihi videor Genes. XV. II. vbi de Abrahamo legimus *quod non destiterit a sacrificio, quod offerebat, etsi videbat aues descendentes, ut eum impedirent, sed eas diligenter abigebat, et in suo sancto opere perseverabat donec sol occideret.* Aues hae omnino dissimiles non sunt spuriiis et imperfectis de DEO conceptibus phan-

(yy) Philologia sacr. edit. recent. pag. 414.

phantasiam nostram in ipso deuotionis actu perperam interpellantibus, sed a sacrificio id est a precibus fundendis non confestim et illico abstinendum esse arbitramur, Abrahami potius exemplo prorsus insigni et commendatione digno, itidem constanter vreamus et perseueremus, istasque aues conceptuum imperfectorum idemtidem abigamus a sacrificio precum deuotarum, vsque dum sol iustitiae nobis occurrat, conatusque nostros in hac vita suo suffulciat auxilio et prouehat, donec a claritate ad claritatem illustrati tandem in occursum ipsi feramur soli iustitiae post hanc vitam, vbi omnis cessabit et procul aberit imperfectio, vbi in perfecta sanctitate potius aeternum DEO cantabimus Hallelujah !

§. XXI. Potest ea res illustrari exemplis aliis in primis vero illorum, quos DEVS tamquam verae et inuisibilis Ecclesiae membra in ipso Pontificiorum sibi coetu hodieque colligit, olimque collegit. Nominimus et eos fuisse adhuc idololatricis aduetos ritibus, non iconibus et imagini Numinis seruatorisque nostri praecipue exhiberi solitis, sed etiam sanctorum dudum demortuorum, quorum saepenumero sanctitatis mentita fuit, dum historicorum annales profligatissimae eos fuisse homines malitiae depingunt. (22)

E DEVS

(22) Huius rei dira Romanensium superstitio et crudelis idololatria recens luculentissimum nobis praebuit exemplum, GREGORIVM VII. inter sanctos dum retulit, hominem omnium nequissimum, voyes le Passe-par-tout de l'Eglise Romaine tom. II. pag. 89. crudelitatem, qua in Imperatore faciuit non solum approbando, sed et Breuiario Missae ad-

DEVS igitur pro longanimitate sua tolerat eiusmodi defectus et naeuos, respicitque potius fidei substantiam, quam ut eam ex imperfectis iudicet accidentibus adiunctisque prorsus spuris. (aaa) In exempla si operae pretium esset excurrere ipsius Megalandri LUTHERI hanc rem euidentius possemus adstruere testimonio, qui ab initio, quum meliora quidem de capitibus fidei fundamentalibus edoctus, erroresque Pontificiorum cane peius et angue auersaretur, fieri tamen non potuit, quin erroribus nonnullis imbutus

adiuncta fuit formula quaedam precandi ad eum directa. Rex vero Gallorum eiusque iudicium supremum suppressit hanc Bullam dicendo: *hominem Romae inter sanctos reuerentum, non statim sanctum esse per uniuersum terrarum orbem.* Papa equidem Rom. moleste id tulit et per nuntium suum misit excommunicationem aduersus Episcopum Antistiodorensem, sed suaserunt Magnates ut a diuulganda ea desisteret. Maxime vero bilem mouit Pontifici Episcoporum Metensis et cordati Montis Pessulani inhibitiones: summa vero iudicia, quae Galli les Parlements vocant, Aquae Sextiae et Languedociae publice carnificis manu Bullam hanc Pontificis comburendam curarunt. COLERVS l. c. part. XLI. p. 482, seq. Prohibita non minus fuit eius recitatio omnibus sacerdotibus pontificiis in prouinciis foederati Belgii uiuentibus expresso mandato inhibitorio 1730. die 20. Maii, cui successit aliud de Pontificiorum in Prouinciis foederati Belgii simbriis non dilatandis sed coercendis. 1730. d. 21. Sept. COLERVS l. c. part. LI. pag. 305, seq. (aaa) Materialem esse idololatriam non formalem, quando fideles externis imbuti adhuc deprehenduntur ritibus idololatricis, adeoque ubi cor idololatricum nullum, ibi nec actum talem esse. PFAFFIUS dissert. de gustu spirituali instit. Theol. dogmat. et moral. annexa §. IX. pag. 849.

maneret idololatricis, (bbb) quos sensim et sensim, exuebat, non item vero MELANCHTHON. (ccc) Loquuntur haec tot insignes verae doctrinae confesso- res violenta morte veritatem nostrae doctrinae sub cimmeriis Romanensium tenebris obfignantes et confirmantes, nubes testium veritatis loquitur haec, et omnes ii, qui in substantialibus fidei rite et recte senserunt, licet cacoëthes idololatricorum rituum, nondum penitus exuerint et margaritas a stercore Enniano plenarie separauerint. (ddd) Quis nesciat Eliae aeuo, vbi omnia sub diro Baalis gemebant cultu idololatrigo, septies mille tamen arcano DEI arbitrio fuisse sub iugo isto praeferuatos. Ad omnem posteritatem memorabile est exemplum Naamanis 2 Reg. V. 18. ab Elifaeo veniam rogantis: *Quoad hanc rem autem condonet Dominus seruo tuo, quum venerit Dominus meus in domum Rimmonis ad incuruandum se illic et ipse innixus fuerit manui meae et incuruauero*

E 2

me

(bbb) Ipsemet praefat. tom. I. Ienens. lat. fatetur se initio fuisse Papistam insanissimum — hic vide et in meo casu, quam difficile sit eluctari et emergere ex erroribus totius orbis exemplo firmatis et longa consuetudine velut in naturam mutatis. Acta philos. tom. I. p. 589.

(ccc) HEVMANNVS Programmate de angelo spirensi Pocicles tom. III. libr. III. inserto pag. 469.

(ddd) Nolim tamen quemquam haec ita capere, vt existimet sententiam esse nostram, Pontificiorum sacris interesse cuius ex Protestantibus licere, inque externis ritibus idololatricis se non minus iisdem attemperare. Is enim nobis imputaret aliquid, quod numquam in mentem nobis venit, statumque controuersiae etiam perperam inuertet et alio detorqueret.

me in domo Rimmonis illa incuruatione mea in domo Rimmonis condonet quaeso Dominus seruo tuo quoad hanc rem. Non equidem me latet quam variae sint interpretum circa hunc locum sententiae. (eee) Omnibus tamen circumstantiis rite pensitatis Naamanem quidem ciuile regi praestitisse credo officium, neque incuruatione sua regi praestanda idolo cultum exhibuisse quemdam: sed tamen qui rempenitius nulloque occaecatus partium studio contuetur, non poterit eundem tamen a symbolizatione liberum pronuntiare, id est vt non simul communicationem habuerit cum caerimonia idololatrica. Cor equidem Naamanis ponamus, firmiterque credimus DEO deuotum fuisse, at quis ex ceteris ministris Regis negasset Naamanem iisdem esse vsum caerimoniis in externo cultu Rimmonis idolo praestari solitis, hinc etiam QVNSTEDT (fff) non obscure ad stipulatur huic sententiae dicendo licet
 „ itaque haec actio quam Naaman insinuare videtur
 „ ex genere suo indifferens sit, habenda tamen hic in

(eee) Diuortium est sententiarum an verba Naamanis de praesertio an de futuro intelligenda? vbi plurimos secuti interpretes Pontificios, Reformatos atque Lutheranos de futuro haec verba capimus vid. Bibl. Hal. hebraica ad h. l. b. PFEIFFER dubia vexata p. 445. vbi stupenda prorsus opera praecipuas videbis sententias enarrari. Neque qui de futuro intelligunt vno modo exponunt sed quatuor apud QVNSTEDIVM l. citando videas sententias. HENR. BENED. STARKIVS. Not. sel. crit. phil. exeget. ad h. l. pag. 163.

(fff) Systemate part. IV. cap. XI. p. 387. BVDDIVS Histor. Ecclesiast. Vet. Test. tom. II. p. 451. seq.

in primis loci ratio est qua fit, vt in fano idolola-
 trico et coram idolo vna cum Rege adorante pro-
 cumbendo se vnum ex idololatris faciat, vel saltem
 speciem edat adorantis et supplicis. In eandem
 sententiam pronuntiat de hoc Naamanis factio
 HIERONYMVS WELLERVS (ggg) ad quaestionem
 liceatne in templo idolatrico verum DEVM ado-
 rare, ac interessè impiis cultibus? Respondit,
 disting. inter personas: aliis licere, aliis non li-
 cere: licere iis qui recens ad veram religionem
 conuersi sunt, ad tempus id facere, donec fides eo-
 rum confirmata fuerit, et alios in CHRisto lucrifer-
 erint, exemplum Naamanis adducens. Quorum
 fides vero iam radices egit, et qui iam diu doctri-
 nam Euangelii amplexi sunt, his non licet adorare
 in templo idolatrico, nec interessè impiis cultibus,
 quominus CHRistum abnegare videantur et exci-
 tare scandala. Plura eius rei exempla apud
 QUENSTEDIUM l. c. videas. Ex quibus facile est ad
 concludendum, quid arripiendum consilii sit *tentandi*
gratia stimulemur a Pontificiis vt ipsorum adsimus
 sacris et ita praesentia nostra probemus et stabilia-
 mus superstitiones suas, Heroico suo nobis praeiue-
 runt exemplo Electores et Principes Protestantium
 quum 1530 festo corporis CHRisti Imperatorem com-
 mitari recusarent, dicentes: *DEO magis, quam homi-*
nibus in his conscientiae negotiis obediendum, probe
 gnari instinctu monachorum data opera hoc ab iis
 postulari ministerium. Aliter vero se res habebat
 quum

(ggg) Comment. ad h. l. pag. 16, b.

quum haud ita multo post IOHANNES Elector Saxoniae, ratione officii Saxonicae domui praestandi, Imperatori ad Missam eunti gladium praeferet. CYPRIAN (*bbb*) Quid factum sub regibus Iudae et Israëlis, vbi gentes cultu idololatratico adeo excacatae, vt veri se Numinis cultui hoc seruato et retento vacare posse existimarent? Ita de Iosaphato legimus Iudae Rege eum fecisse quod DEO gratum fuerit, neque tamen abrogasse cultus idololatricos in montibus fieri solitos. I Reg. XXII. 43. 44. Eadem est ratio posterorum Abrahami, ii enim vndiquaque gentibus circumdati cultui idolorum aduetis, tandem etiam sensim aliquid sibi attrahebant ex cacoëthe isto, vt vero Numinis cultu etiam lares et penates suos reuerenter habere se posse putarent, exemplo quod patet soceri IACOBI suos sibi penates sollicitè seruantis Genes. XXXI. 19. Neque tamen ea omnia a me dicta volo, quasi vero vbique par fuerit idololatriae ratio. Sed ideo solito copiosius haec persecutus sum, vt eo luculentius nobis innotesceret DEI longanimitas, qua errantes etiam omni tolerare aeuo dignatus est, grauesque insuper imperfectiones et naeuos iis poenae loco non voluit reputare, sed ita clementer egit cum iis vt substantia fidei integra, enormes etiam sua tegetet *μακροθυμία* errores.

§. XXII.

(*bbb*) Histor. der Augspurgischen Confession aus denen Original-Acten cap. VII. §. 2. p. 74. seq. Des andern Drucks.

§. XXII. Quemadmodum vero nemo prohibere potest, quominus aues in aere libero subteruolent capita nostra; ita etiam nemo vetabit eiusmodi subinde ideas idololatricas, sensuales, impuras, phantasmam in actu adorationis turbare atque deuotionem interpellare nostram: diabolus tamen licet non immediatis suggestionibus homini isthac ratione moliri possit incommoda, ad precum piarum attentionem, si non labefcendam, interpellandam tamen tamquam mille fraudum artifex ea omnia mira astutia versutiaque nouit incommoda conuertere sua, quae ex fomite nouit originalis mali proflire, deuotioni tanquam fructui Sp. S. e diametro aduersa. Neque iccirco animum est, quod despondeamus, atque cogitemus, non aequae acceptas fore DEO preces nostras fide profectas vera, licet diuersimode attentio earumdem memoratis interpelletur rationibus, miles enim gnauiter pugnando ad Imperatorem penetrans aequae gratus ipsi est atque ille, aperta via nullisque conflictatus eum aditurus molestiis. Vera hinc fiducia teneamus DEVM in ipso adorationis actu, neque curemus variis modis molestiam nobis creari a diabolo naturae nostrae vso deprauatae instrumento. Solet subinde Pater coelestis isthac ratione nobiscum colluctari haud aliter atque cum IACOBO, vt deinceps, vbi rite et strenue pugnauerimus in orando, et non tam verborum multitudinem, quam gemituum pluralitate et suspiriis perseuerauerimus, cum honore nos coronet, et ex via in patriam nos colloquet, vbi non amplius in aenigmate DEVM nobis repraesentamus, neque etiam deuotio vlla inquietudine nostra turbabitur, sed ad adspicium simul gloriae admittimur, vbi suo nos DEVM lumine adfulgentem non intellectu solum,

sed et de facie ad faciem contuebimur.


Amen.

Corol-

* * * * *

Corollaria.


- I.
- N**atura a gratia probe est discernenda: illud qui ex ministris ignorat factis, hypocritam promiscue in numero sincerorum ponet christianorum.
- II. Irregitum etiam posse dici illuminatum existimamus.
- III. Tutiozem arbitramur in articulo de iustificatione propositionem: homo sola fide iustificatur, quam illam: sola fides hominem iustificat.
- IV. Homini etiam iustificando nec presentia, multo minus efficientia B. O. opus est.
- V. Datur et huius et futurae vitae beatitudo: ea vero an gradibus tantum, an specie differat, certo respectu et adfirmari et negari potest.
- VI. Homini poenitentiae et conuersionis terminum positum esse ante finem vitae gratiae diuinae premtorium, quo clapsio ad poenitentiam non dari amplius regressum, fidenter negamus.
- VII. Dari ius aliquod Gentium Celeberrimos, noui, IurisConsultos et adfirmare et negare: nobis negatiua sententia videtur esse tutior.
- VIII. Optima medicina est nulla vel modica vti.
- IX. In morbis chronicis solcite versandum est curandis.
- X. Aliter curatio instituitur vbi solidorum adest corruptio.
- XI. Aliter vbi ex discrastia humorum et atonia partium solidorum malum deriuatur.
- XII. Cura palliatua morbis chronicis vtplurimum accommodatior habetur.
- XIII. Experientia tamen medici nonnumquam felici successu aperto Marte malum expugnauit.
- XIV. Dantur tangentes et secantes quorum magnitudo determinari nec numeris nec lineis potest.
- XV. Quot sunt habitores, puncta vel ad vnus non lapidis sed pedis distantiam, tot mathematici dantur Meridiani et Horizontes.
- XVI. Methodus muniendi neque vetus neque noua datur vniuersalis, neque PAGANA VAVBANIANA BLONDELLIANA RVSSENSTEINIANA SCHEITERIANA aut RIMPLERIANA ita potest omnibus adplicari promiscue superficiebus et locis, vt eis empirice possint aduersus hostium insultus stabiliri.
- XVII. Per Angelos 1 Cor. XI. 10. 1 Tim. III. 16. non intelligimus Spiritus illos creatos DEI ministros, qui Hebr. I. 14. intelliguntur. Et ad magnum accedit probabilitatis gradum 2 Cor. XII. 7. Ἰὸν ἀγγελοῦ Σατανῆν itidem non de ipso diabolo esse capiendum.
- XVIII. Solam nos atticam admittimus in N. T. dialectum. Quibus nitatur fundamentis? Quae ritanti aperiemus.



Rinkel, Diss., 1722-35

X 241 87 69





B.I.G.

Farbkarte #13

XII. n. 24.

13

1731, 1.

SSERTATIO INAUGVRALIS THEOLOGICA

DE

**DOLOLATRIA
EVOTIS NONNVN-
VAM PRECIBVS IN-
NOCVE ADIVNCTA**

QVAM

DIVINIS AVSPICIIIS

REGIA ILLVSTRI SVECICA ET HASSO-SCHAVEN-
BVRGICA ACADEMIA RINTELIENSI

MODERANTE

AN. ENGELH. STEVBERO

THEOLOGIAE DOCTORE ET PROFESSORE PRIMARIO
OSOPHIAE ORDINARIO SVPERINTENDENTE ET
ONSISTORIALI HASSO-SCHAVENBVRGICO
COLLEGII THEOLOGICI HODIE DECANO

PRO LICENTIA

NENDI SVPREMOS IN THEOLOGIA HONORES
PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE CONSEQVENDI
ENTISSIMORVM DOMINORVM OMNIS FACVLTATIS PROFESSORVM
EXAMINI PVBLICO SVBMITTIT

VVIGANDVS KAHLER

S. THEOLOGIAE ET MATHESEOS PROFESSOR ORDINARIVS.

RINTELII DIE XII APRIL. MDCC XXXI.

LITTERIS IOH. GODOFR. ENAX, A. T.

